

Deum offendendo deserit, de se dignus est ut privetur cogitatione congrua et efficaci : et similiter qui sæpius resistit sufficientibus vocationibus Dei, non meretur efficacem accipere. Et de facto, verisimillimum est Deum sæpe hoc modo deserere eos qui se deserunt, ut sumitur ex Augustino, dicta quæst. 4 ad Simplician., epist. 106, et aliis plerisque locis. Unde hoc totum potest in illo dogmate comprehendere, crediderimque ab Augustino et Patribus etiam esse intentum, et hæc videri possunt satis ad responsionem quinti argumenti, quia non oportet dogma illud de sufficienti auxilio intelligere, aut in eo etiam verum esse, cum de auxilio efficaci, tam concomitante quam præveniente, verissime et sufficientissime intelligatur, et ex mente sanctorum Patrum explicetur.

32. *Assertio.* — Nihilominus tamen, etiam de auxilio sufficienti intellectum, illud dogma, quoad affirmationem in illo inclusam, potest verum sensum habere, si Deus neminem deserentem se omni auxilio sufficienti privet. Nam, ut supra diximus, auxilium sufficiens dupliciter datur, scilicet proxime et remote. Item, auxilium quod remote sufficit, necesse est, ut ad aliquid aliud proxime sufficiat, quo mediante, remote dicatur ad aliud sufficere, unde etiam fit ut in talibus auxiliis perveniendum necessario sit ad aliquod primum, quod sit proxime sufficiens ad primum medium, seu opus, aut effectum necessarium ad salutem, quæ omnia ex dictis satis constant. Dico ergo imprimis, quandiu homo in hac vita ratione utitur, et libere operari potest, etiamsi millies deseruerit Deum, nunquam ita deserit, ut non possit a peccando cessare, et quodlibet peccatum in particulari occurrens moraliter evitare. Ratio est, quia nec peccatum præsens excusationem habet propter præcedentia, nec posset imputari, si homo non haberet sufficiens auxilium quo illud possit vitare : ergo in hac vita nunquam destituitur homo tali auxilio, occurrente occasione vitandi peccatum, aut servandi præceptum. Consequentia clara est ; utraque autem præmissa probata est late supra, tam Scriptura quam doctrina Augustini, et videri potest Bellarminus, libro secundo de Grat. et libero arbitr., capite septimo, ubi addit hoc auxilium interdum posse esse immediate sufficiens ad non peccandum, aliquando vero solum mediate, utique intercedente oratione.

33. *Ampliatur.* — Sed addo imprimis tunc necessarium esse ut detur auxilium immediate

sufficiens ad orandum : unde ulterius dico illud auxilium, sufficiens ad orandum, esse etiam immediate sufficiens ad quietandum peccatum pro eo tempore vel momento quo fit oratio ; respectu vero temporis futuri, seu ad perseverandum in victoria importunæ aut continuæ tentationis, erit tantum remotum : per orationem autem infallibiliter impetrabitur auxilium proxime sufficiens pro futuro tempore, perseverante etiam oratione, si oportuerit. Quoad hoc ergo auxilium necessarium ad vitanda singula peccata, non procedit illud principium, quatenus affirmat Deum deserere eum qui se deserit. Et ratio a priori est, quia, licet homo, deserendo Deum, ex se mereatur deserit in futurum, etiam in singulis occasionibus peccandi, nihilominus, quia homini concessit totum hujus vitæ tempus, ut in eo possit salutem consequi, et peccata vitare, ideo ex se nunquam negat auxilium in singulis momentis sufficiens, ut nunquam peccator dicere possit : *Per Deum abest*, Ecclesiast. 43. Posito vero hoc auxilio ad non peccandum, in eo continetur remote auxilium sufficiens ad totam salutem, quia si homo, cum præsentibus auxiliis, faciat quod in se est ad vitanda nova peccata, semper recipiet majora auxilia, quibus ad remissionem præcedentium, et ad perseverandum in futurum possit disponi, si velit, juxta superius dicta. Et ita etiam, quoad hanc partem, non habet locum illa pars affirmativa dicti axiomatis. Nihilominus tamen, quia sæpe homo male utitur illo auxilio ad non peccandum, ideo privatur uberius auxiliis proxime sufficientibus ad fidem, vel alia propinquiora opera salutis, ut supra etiam ostendimus. Et sic verificatur etiam illa pars affirmans quoad auxilia sufficientia proxima ad salutem, vel ad perseverandum sine peccato, vel ad remissionem præcedentium. Adhibenda vero semper est limitatio supra posita, ut hoc intelligatur quantum est ex merito et indignitate deserentis Deum, nam, licet sæpe Deus eo rigore cum peccatoribus utatur, non vero semper et infallibiliter, nulla enim absoluta lex de hoc lata est, sed suæ misericordiae et liberæ voluntati hoc Deus reservavit, sicut in priori puncto diximus. Addi etiam potest, licet Deus non deserat hominem abutentem prioribus auxiliis, quoad auxilia simpliciter necessaria, deserere autem sæpe quoad uberiora, etiam intra latitudinem sufficientium, juxta doctrinam Gregorii, libr. 11 Moral., cap. 5, et hom. 11 in Ezech.

34. *Respondetur sexto et ultimo ad testimo-*

nium Augustini circa verba Pauli, Deus vult omnes homines salvos fieri. — Ad sextum et ultimum caput et testimonium Augustini, respondetur, licet interdum Augustinus exponat illa verba Pauli : *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non de omnibus simpliciter, sed aliis modis, non ideo id fecisse, quia putaverit nullo modo velle Deum omnium hominum salutem, sed ut indicaret non eodem modo velle omnes homines salvare, sed quosdam singulari electione et proposito efficaci velle salvare, et ideo etiam secundum hanc voluntatem interpretari voluit verba Pauli, et, consequenter ad illam, distributionem omnium hominum explicare. Nihilominus tamen in aliis locis, præsertim de Spirit. et litt., c. 33, fateatur Deum ex se velle omnes salvare, et ita exponit verba Pauli, ut supra vidimus. Dum ergo in aliis locis indicat quosdam non salvari, quia Deus noluit salvare, imprimis verbum illud *noluit*, pure negative et de sola negatione efficaci voluntatis, seu electionis, intelligendum est, ita ut non sit sensus, aliquos carere sufficienti auxilio salutis, quia Deus de se absolute voluerit illos non salvare, sed sensus sit, quia aliquos non elegit voluntate absoluta, ideo non præparasse illis auxilia salutis efficacia et congrua ; de his enim illa loca intelligenda sunt, cum quo stat, ut omnibus media sufficientia, ex antecedente voluntate salvandi omnes, præparaverit.

CAPUT XIX.

UTRUM AUXILIA SUFFICIENTIA OMNIBUS HOMINIBUS ÆQUALITER CONFERANTUR EX PARTE DEI, VEL UNDE EORUM VARIETAS SEU INÆQUALITAS ORIATUR.

1. *Questiuncula de auxilii sufficientis distributione, et an ex parte Dei omnibus detur æqualiter.* — Diximus auxilium sufficiens omnibus conferri ; superest ut breviter explicemus quomodo distribuatur, id est, an ex parte Dei omnibus inæqualiter detur, et unde contingat, variis modis et inæqualibus conferri. Loquimur autem de auxilio sufficienti : nam de comparatione illius cum efficaci, et cur quibusdam detur auxilium efficax, aliis vero tantum sufficiens, in libro sequenti dicendum. Deinde, si de solo eventu, vel de facto ageretur, res esset facillima et extra controversiam, inter eos, qui Scripturam et fidei principia admittunt, quia evidentissimum est de facto non dari omnibus, etiam reprobis, æqualia auxilia

VIII.

sufficientia, sed aliis majora, aliis minora, ut res ipsæ manifeste ostendunt. Dicit enim Christus, Matth. 11 : *Si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes quæ sunt factæ in te, in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Erat ergo auxilium illud de se sufficiens, et in Judæis fuit tantum sufficiens, quia illi restiterunt, et in hoc graviter peccarunt, et tamen illud non est datum Tyriis nec Sidoniis, nec etiam aliis gentibus, nec æquale, sed longe minus. Unde etiam legimus Act. 14 et 17, Deum permisisse gentes ingredi vias suas, et tempora prioris ignorantiae despexisse, non quia sine auxilio sufficiente gentes reliquerit, sed quia longe minora auxilia sufficientia eis tribuerit, quam Judæis, juxta id Psalm. 147 : *Non fecit taliter omni nationi ;* et Rom. 3 : *Quid ergo amplius Judæo est ? aut quæ utilitas circumcisionis ? multum per omnem modum.*

2. *Respondetur quod non, et probatur.* — Post adventum etiam Domini nostri Jesu Christi, ejus gratia non omnibus gentibus est æqualiter applicata ; aliis enim citius, aliis tardius prædicatum est Evangelium. Et in Actis Apostolorum legimus, volente Paulo ire ad unam gentem, prohibitum esse a Spiritu Sancto, et ad aliam esse missum, Act. 16 ; nunc etiam majora gratiæ auxilia dantur fidelibus Christianis, quam olim darentur gentibus, vel Judæis, ut ex illo 1 Timoth. 4 : *Qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium*, colligit eleganter Prosper, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 31, alias 10, dicens : *Adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ ad summam atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur*, in quibus verbis, de prædestinatis, ac subinde de efficacibus auxiliis loqui videtur ; tamen negari non potest quin etiam hi, qui ex Christianis non salvantur, specialibus beneficiis præmoveantur, licet ad effectum non perducantur ; recipiunt ergo illi majora auxilia sufficientia quam infideles, et in rigore verborum Pauli, sub illis adaptantur ; qui ulterius subjungit, cap. 32 : *In ipsis quoque fidelium populis non eadem omnibus, nec paria (utique auxilia) conferuntur* ; et hac ratione, cæteris paribus, Christiani, qui damnantur, censentur graviori judicio et condemnatione digni, quia majoribus auxiliis restiterunt ; et inter Christianos ipsos, majori pœna sunt digni qui, pluribus auxiliis præventi, damnati sunt. Itaque de facto ipso, seu de auxiliorum sufficientium, non solum comparatione efficacium, sed etiam inter se inæquali-

24

tate, nulla est controversia. De radice autem et causa hujus varietatis quæstio agitur.

3. *Contrarium Semipelagianorum placitum: Deus, quantum in se est, æqualiter providet; ex parte autem hominis provenit, quod alii majora, alii minora accipiant.*—Dixerunt ergo Semipelagiani Deum, quantum in se est, omnibus æqualiter providere, et de se paratum esse ad dandum omnibus æqualia auxilia sufficientia; ex parte autem hominum provenire, quod alii majora, alii minora recipiant, ut late referunt Prosper in epistol. ad Augustinum, et Hilarius in alia epistol. ad eundem Augustinum, et idem Augustinus epistola 106 et 107, et lib. de Prædest. Sanct., cap. 1 et 2; potestque sententia hæc aliquo modo fundari in verbis Sapient. 6: *Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter est illi cura de omnibus; quod maxime videtur de supernaturali providentia intelligendum; et ratio ibi insinuat, quia sicut Deus æqualiter est creator omnium, ita etiam decet bonitatem ejus, ut sit æque omnium salvator.* Item, quia, ut ibidem præmittitur: *Non subtrahet personam cujusquam Deus, id est, non est acceptor personarum Deus, ut etiam Act. 10, et sæpe in aliis locis Scripturæ dicitur; esset autem acceptio personarum et irrationabilis discretio, seu electio, si Deus hominibus, ex parte sua omnino æqualibus, et in originali peccato æque nascentibus, gratiæ auxilia inæqualiter distribueret sine ulla causa vel ratione ex parte illorum.*

4. *Favent Dionysius, Cyprianus et alii.*—*Reprobatur Massiliensium sententia ab Augustino, Prospero et aliis.*—*Suppositio pro sensu quæstionis.*—*Concluditur proposita quæstio.*—Secundo, videtur huic sententiæ multum favere Dionysius, cap. 9 de Cœlest. Hierarch., ubi non ex parte Dei, sed ex parte hominum oriri sentit, quod quidam magis, alii minus a Deo illuminantur: *Ipsa (inquit) lucis participatio pro suscipientium meritis varia fit, scilicet, parva vel magna, obscura vel lucida, cum tamen radius ille divinus, unus ac simplex sit, eodemque modo se habeat super omnia semper explicitus.* Item Cyprianus, epist. 59, alias lib. 3, epist. 8, sic ait: *Esse apud omnes, sive infantes, sive majores natu, unam divini numeris æqualitatem, declarat nobis divinæ Scripturæ fides; et infra: Sed illic æqualitas divina et spiritualis exprimitur, quod pares et æquales sint omnes homines, quando a Deo semel facti sunt; et infra: Cum Spiritus Sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur; nam Deus, ut perso-*

nam non accipit, sic neque ætatem, cum se omnibus ad cælestis regni consecutionem æqualitate librata præbeat patrem; et epist. 76 ad Magnum, p. 2, alias lib. 4, epist. 7: Si dies (inquit) omnibus æqualiter nascitur, et si sol super omnes pari et æquali luce diffunditur, quanto magis Christus sol et dies verus in Ecclesia sua lumen æternæ vitæ pari æqualitate largitur. Et infra inducit exemplum manna, sic enim ait: *Spiritualis gratiæ munus sine annorum discretionem, seu acceptionem personarum, super omnem Dei populum æqualiter effundit.* Denique D. Augustinus, in id Psalm. 45: *Deus in medio ejus non commovebitur, ait: Quid est, Deus in medio ejus? hoc significat; quod æquus est omnibus Deus, et personas non accipit: quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines, ita Deus medius esse dicitur æqualiter omnibus consulens.* Nihilominus hæc Massiliensium sententia ab Augustino, Prospero et aliis Patribus et Conciliis reprobata est, ut in fide erronea; quia vero in ea multa continentur quæ non æque falsa, vel etiam non omnia falsa sunt, ergo per partes oportet illa discernere, et pretiosum a vili, seu veritatem ab errore separare. Primo ergo supponimus, quod dictum jam est, Deum omnibus hominibus lapsis, nullo excepto, ex parte sua sufficientem gratiam offerre, paratumque esse ad dandum omnibus auxilium supernaturale sufficientem, et illuminandum omnes, si ipsi gratiæ Dei obicem non posuerint. Hoc late probatum est in superioribus, et denuo id convincunt testimonia Patrum proxime allegata; in hoc ergo non errabant Semipelagiani, nec illis in hoc Augustinus contradixit, ut ex dictis in superioribus constat. Secundo, nihilominus dicendum est rationem varietatis et inæqualitatis hujus sufficientis auxilii in diversis temporibus, locis, seu nationibus, aut personis, non posse ex parte hominum, seu ex libero arbitrio sufficienter assignari.

5. *Traduntur hæc assertiones a Prospero.*—*Et confirmantur.*—Has suas assertiones (interponendo aliam veluti hujus fundamentum), tanquam certissimas definitiones, tradit Prosper, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 30, alias 10, dicens: *Commendamus ut, cum de gratia profunditate et altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis et veracissimis definitionibus simus intenti, quarum prima profitetur æternum et proprium esse divinæ voluntatis, ut omnes homines salvos fieri velit, et in agnitionem veri-*

tatis venire. Alia simul prædicat omnem hominem, qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio juvari ac regi, ut que in fide quæ per dilectionem operatur permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter et sobrie protestatur, non omnium voluntatum Dei comprehendi posse rationem, et multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas, ut cum in temporibus et nationibus, in familiis, in parvulis, in nondum natis et genitis, quædam aut varie, aut insigniter gesta esse noscuntur, non ambigamus ea ex illis esse justos et misericors Deus in hoc transituro sæculo noluit sciri. Deinde, postquam cap. 31 primam propositionem modo a nobis supra explicato confirmavit, in 32 confirmat suam tertiam, et nostram secundam assertionem, tum ex effectibus, quia etiam in fidelibus populis non omnibus paria et similia conferuntur auxilia, et ante omnia meritum pondera, dissimillima divinorum mensura est numerum, quæ varietas non potest nisi in liberam Dei voluntatem referri; tum ratione, quia non possumus hanc diversitatem graduum causis aptare meritum, cum totius boni meriti principalis causa sit gratia, de cujus opibus sumitur, quidquid in singulis probabile reperitur?

6. *Distinguuntur aliquot modi inæqualitatis gratiæ sufficientis.*—*Semipelagianorum error.*—Ut autem distinctius veritas hæc declaretur et confirmetur, possumus nonnullos hujus inæqualitatis et varietatis sufficientis gratiæ modos distinguere, et in singulis, quid in solam divinam voluntatem, quid vero in humanam referri possit, agnoscere. Potest autem hæc varietas spectari, vel inter singulares personas, vel in ipso humano genere in diversis temporibus, seu ætatibus Ecclesiæ, vel in diversis mundi partibus et provinciis, in eodem tempore et statu Ecclesiæ. Primo ergo inter personas invenitur inæqualitas, quia ad quosdam divina illuminatio supernaturalis, et interna vocatio proxima ad fidem nunquam pertingit, nec per auditum, nec per inspirationem internam; ad alios autem pervenit, et actu confertur. Utrumque membrum per se satis patet, experientiaque comprobatur, et in superioribus auctoritate confirmatum est; hujus ergo discriminis ratio, in his qui tale auxilium non recipiunt, ex parte illorum reddenda est, tum quia est defectus rei maxime necessariæ ad salutem, qui non a Deo, sed ab homine provenit primario; tum quia est poena quædam, quæ supponit in homine

culpam; tum denique quia non est contra gratiam Dei, sed in favorem ejus, ut ostendatur de se omnibus communicari. Et hoc etiam in superioribus late probatum est. In aliis vero quibus tale auxilium actu confertur, prima ratio non ex illis, sed ex Deo sumenda est, et ita in utrisque completur sententia Domini, dicentis: *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum, et in hoc imprimis errarunt Semipelagiani, qui non minus causam recipiendi a Deo primum auxilium gratiæ ponebant in bono usu liberi arbitrii, quam carentiæ illius in malo usu; decepti vero sunt, quia homo per se sufficit ad ponendum obstaculum auxilio Dei, non tamen ad promerendum illud. Imo, in statu naturæ lapsæ, ratione peccati originalis illud demeretur, quantum est de se, et ideo quando illi datur, gratis et ex solo Christi merito confertur, quod non solum de primo auxilio efficaci, sed etiam de sufficiente intelligendum est, ut jam dicam.*

7. *Differunt auxilium sufficiens et efficax.*—Potest enim ulterius hæc inæqualitas inter singulares personas inveniri, etiam in his qui supernaturale auxilium sufficiens actu recipiunt; nam quidam per illud tantum recipiunt posse, alii recipiunt etiam velle, ut Augustinus frequenter loquitur. Quod discrimen non est, per se loquendo, inter auxilia sufficientia, de quibus nunc tractamus, sed est inter auxilium sufficiens et efficax; nam auxilium, quod dat posse, est tantum sufficiens; aliud autem, dans velle, est efficax. Regulariter autem credibile est, illud, quod est efficax, etiam in ratione sufficientis esse majus; an vero semper necessarium sit, postea videbimus. In his ergo in quibus auxilium est efficax, causa prima et principalis est voluntas divina: quomodo autem id etiam ex libero arbitrio pendeat, in libro sequenti tractandum est; de aliis vero in quibus est tantum sufficiens, duo distinguenda sunt, unum est, habere tale auxilium; aliud est, quod sit tantum sufficiens; hoc posterius habet rationem ex parte ipsius hominis nolentis uti tali auxilio, ex parte autem Dei non habet et propriam causam per se et positivam, sed tantum permissivam, quia non vult dare majus vel congruentius auxilium, quod pro sua voluntate, sine ulla peculiari causa ex parte hominis, facere potest; non facit autem Deus ut illud auxilium sufficiens, quod de facto præstat, sit inefficax, sed hoc facit homo, ut late in superioribus ostensum est.

8. At vero illud prius, scilicet, habere seu recipere tale auxilium (loquendo de tota serie auxiliorum sufficientium, illaque ad primum reducendo), non habet causam ex parte hominis, sed solum ex parte Dei et Christi, quia illud auxilium, etiamsi sit tantum sufficiens, est vera gratia prima, et ideo nullum meritum vel rationem habere potest ex parte hominis, ut contra Massilienses sæpissime Augustinus argumentatur, urgens illud Rom. 11: *Si autem gratia, non ex operibus, alioqui gratia jam non est gratia.* Hoc enim non minus procedit de auxilio sufficienti quam de efficaci, quia auxilium præveniens est vera gratia, etiamsi illi resisti possit, et interdum resistatur, ac proinde sit tantum sufficiens, ut aperte colligitur ex Concilio Trident. et Senonens., locis supra citatis. Quapropter, etiamsi comparatio fiat inter duos, quorum unus nec proxime vocatus fuit ad fidem, alius vero vocatus fuit, sed non consensit, nihilominus dici non potest hunc fuisse alteri prælatum in tali vocatione, propter merita sua, vel propter aliquam bonitatem in ipso inventam, magis quam in alio; sed ratio tota in Dei voluntatem remittenda est. Nam licet fieri possit ut is qui vocatur, sit minus malus quam alius, et ideo ratio aliqua sumi posse videatur ad eum modum quo Paulus dixit 1 Tim. 1: *Miseri cordiam consecutus sum, quia ignorans feci,* sicque peccatum ex ignorantia dicatur remissibilis esse quam peccatum ex malitia: nihilominus hæc ratio non est proprie motiva, nec causa talis gratiæ, sed tantum minus impediens: nec est generalis, nec propria, nam Deus interdum vocat duriorem, et non eum qui minus peccavit, et interdum utrumque, aliquando neutrum; ergo signum est hæc facere secundum consilium voluntatis suæ, per altissimas suæ providentiæ rationes, quas humana fragilitas investigare non potest, nec debet. Unde, si aliquando potius vocat eum qui ex ignorantia peccavit, quam eum qui ex malitia, etiam id facit propter suam bonitatem et gratiam, non propter meritum hominum; et præterea, quod ille, cui miseretur, minus antea peccaverit, etiam provenit ex prioribus rationibus providentiæ suæ, quibus res ita disposuit, ut ille minora saltem impedimenta gratiæ apponeret, atque ita non tantum bona, sed etiam quod mala minora vel pauciora sint, divinæ providentiæ et voluntati merito tribuitur, quæ omnia, quatenus ad finem supernaturalem ordinantur, ad divinam prædestinationem et gratiam aliquo modo

pertinent, et ita sæpe de his effectibus loquitur Augustinus, ut in superioribus allegatum est.

9. *Varietas inter singulares personas qui multa auxilia sufficientia recipiunt, et per illa ad salutem non perveniunt, unde sit.* — Tertio, adhuc inter singulares personas, qui multa auxilia sufficientia recipiunt, et per illa ad salutem non perveniunt, invenitur infinita varietas. Nam quidam recipiunt illa auxilia toto tempore vitæ, alii tardius, alii in fine vitæ: et quidam plura et majora, alii minora et pauciora; quidam per illa nunquam justitiam consequuntur, alii interdum perveniunt ad illam; quidam brevi tempore, alii diuturno, licet tandem non perseverent. In hac ergo varietate, aliter de primo auxilio, aliter de subsequentibus dicendum est. Nam, quoad primum, certum est in utroque homine initium talium auxiliorum, quod unicuique datur, sive parvum sive magnum sit, esse ex sola gratia et misericordia Dei, ut contra Semipelagianos Concilia definiunt, et jam sæpe dictum est; unde fit varietatem quæ in primo auxilio invenitur (nam uni datur majus, alteri minus) non esse ex diversitate meritorum ipsorum hominum, sed ex voluntate Dei; nam, si neuter illorum meretur suam gratiam, multo minus potest unus mereri quod majorem accipiat quam alius. At vero, in posterioribus auxiliis, potest illa varietas oriri ex dispositione recipientium, non naturalem, sed per cooperationem cum primo auxilio: sic enim potest homo operans per fidem, aliquo modo sequentia auxilia mereri, ut sæpe dictum est.

10. *Deus sæpe dat multo majora, sine ulla dispositione, et cur.* — Nihilominus tamen hæc ratio hujus varietatis nec adæquata est, nec prima. Dico non esse adæquatam, quia non semper Deus dat sequentia auxilia juxta mensuram dispositionis, sed sæpe majora. Nam licet verisimile sit nemini negari auxilium ad quod per prius auxilium se disponat, nihilominus sæpe dat multo majora, et sine ulla dispositione, vel non obstante contraria dispositione; quia sicut illud prius est aliqualis justitiæ, ita hoc est misericordiæ, et ad ostensionem divinæ gratiæ fit. Dixi etiam non esse illam primam causam hujus varietatis, quia in eo qui melius utitur primo auxilio, ut impetret secundum, illud primum non solum est sufficiens, sed etiam efficax, et hoc ipsum provenit ex altiori et occultiori gratia Dei, et mera gratuita, atque ita tota causa tandem refunditur in Deum.

11. *Obiectio ex Scriptura.* — *Retorquetur.* — Contra totam autem hanc doctrinam solet objici verbum Christi Domini, Matth. 23, ubi, proponens parabolam talentorum, ait hominem illum peregre euntem distribuisse talenta unicuique, secundum propriam virtutem, quasi per propriam virtutem, propria dispositio et meritum, et per talenta, prima gratiæ auxilia et semina significantur. Verumtamen neutrum horum est necessarium, nam multi Patres per talenta non intelligunt gratiam sanctificantem, neque auxilia ad illam spectantia, sed vel gratias gratis datas, ut Anastasius Nysenus, q. 84 in sacram Scripturam, vel diversa Ecclesiæ officia et ministeria, ut Chrysostomus, Hom. 51 Imperf., vel munus prædicandi Evangelium, cum majore vel minori talento, seu cum pluribus aut paucioribus donis, tam naturæ quam gratiæ, collatum. Unde quod additur, *secundum propriam virtutem*, non oportet intelligi secundum proprium meritum, vel dispositionem, sed secundum propriam capacitatem; nam licet dona vel ministeria gratiæ non debeantur naturæ, nihilominus in distribuendis illis, præsertim quando ad publica ministeria ordinantur, Deus ordinarie rationem habet naturæ et ingenii, seu conditionis naturalis uniuscujusque; hoc enim ad suam providentiam spectat, et non est contra rationem gratiæ, et ideo frequentius servatur, licet interdum, ad ostensionem virtutis suæ, instrumentis de se ineptis ad sua opera Deus utatur.

12. *Aliorum facilior solutio.* — *Additur alia ab auctore.* — Alii denique facilius se expediunt dicentes, non oportere singulas particulas et verba parabolæ accommodare, atque ita illa interposita fuisse a Christo Domino, quia ita solet ab hominibus fieri, non quia Deus, in suis donis gratiæ conferendis, semper modum illum observet. Addo ultimo, quamvis sub illis talentis dona gratiæ sanctificantis comprehendamus, et per propriam virtutem dispositionem uniuscujusque intelligamus, non oportere intelligi de dispositione ad primum gratiæ auxilium, nec de dispositione quæ propria virtute hominis fiat; non enim dicitur propria virtus, sola illa quæ propriis viribus acquisita est, sed etiam illa quæ ex dono Dei propria recipientis facta sunt; prius enim quam homo ille sua bona traderet servis suis, vocavit illos, et fecit illos suos, per quod recte intelligimus sermonem esse de hominibus jam vocatis ad Ecclesiam, et per fidem Christi servis effectis, per quam etiam diversimode

ad dona gratiæ recipienda disponi potuerunt; ita exponit D. Thomas 2. 2, quæst. 24, art. 3, ad 1.

13. *Consideratur varietas auxiliorum juxta ætates mundi et status Ecclesiæ.* — Quarto, potest hæc varietas auxiliorum considerari in diversis mundi ætatibus, et præsertim in tribus statibus Ecclesiæ, scilicet legis naturalis, scriptæ et evangelicæ. In quibus certissimum est longe diversam fuisse gratiæ mensuram; nam in tempore legis naturalis, adeo erat rara fides, et vocatio ad illam, ut non dubitaverit Paulus vocare illa tempora ignorantiae, quæ despexit Deus, dimittens omnes gentes ingredi vias suas, Act. 14 et 17. Eandemque gratiæ sterilitatem quæ in gentibus fuit, in epist. ad Rom., late describit Prosper, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 23, et inter alia dicit, *tunc fuisse parcius et occultius communicatam.* At vero de Judæis jam ostendimus majorem fuisse illis concessam; tamen in illa eadem lege scripta, fuit multo abundantior gratia pro tempore legis novæ promissa, Jerem. 31: *Dabo legem meam in visceribus eorum;* et Ezechiel. 11: *Dabo eis cor unum, et spiritum meum;* et cap. 33: *Suscitabo super eos pastorem;* et cap. 36: *Spiritum meum ponam in medio vestri;* Isai. 54: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino;* et cap. 55: *Omnes sitientes, venite ad aquas,* et infinita similia, quæ tempore legis novæ esse impleta ostendit Christus, Joan. 6, et sæpe in Evangelio, et Apostoli passim in Actibus, et in suis epistolis. Certum est autem hanc varietatem non esse ortam ex hominibus: *Non enim ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.*

14. *Duo consideranda in illa varietate.* — Ratio ergo tota illius varietatis ex divina voluntate pendet. Duo autem possunt in illa varietate considerari; unum est collatio cujuscumque gratiæ, sive majoris, sive minoris, et hoc semper fit ex liberali misericordia Dei per Christum; aliud est ejus gratiæ varietas, seu inæqualitas, in qua duæ sunt partes, scilicet, sterilitas et abundantia gratiæ. Et licet utraque fuerit ex divina voluntate, diverso tamen modo; nam sterilitas seu parvitas gratiæ pertinet ad rigorem, et ideo fundamentum habuit semper in originali peccato, additis multis personalibus, ut Paulus expendit Rom. 2; præter autem rationem supplicii, fuit etiam medicinalis pœna respectu totius generis humani, ut suam indigentiam magis agnosceret, et Christi gratiam et incarnationem magis æsti-